



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XLVI. Sancti Patris Benedicti. MLXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

nuisti, Te verè DEIPARAM Magnificamus: Ave Maria, Gratia plena, Dominus Tecum, Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui; quoniam salvatorem peperisti animarum nostrarum &c. Hucusque Blossius noster, ut nemo satis fervorem tanti Abbatis admiretur. Vita excessit hoc anno, non minus Blossio fervidus in Marianos & Christi Ecclesie hostes Hæreticos, pugil & Athleta generosissimus Reverendissimus Dominus Jacobus de Lallre, ex Abbate Vallis Beatæ MARIÆ Virginis Montibus, postulat Abbas Hasinoviensis, lucidissimum Inferioris Germaniæ fydus, Hostis Hæreticorum, ut annales loci appellant, acerrimus, ac propterea, Hæreticae pravitate Inquisitor constitutus, post multos labores & pericula, ad præmia Domini prælia præliantium vocatus. Hoc primum anno nonnulli S. Jgnatium Casinum migrasse volunt.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLV.
Sancti Patris Benedicti. M. LXV.

Magnis sese meritis commendat, Jacobus, cognomento Regius, Renati, ex Margarita Gauffier filius, Archiepiscopus Patriarchalis Ecclesie Bituricensis, Aquitaniæ Primas, Princeps lectissimus. Jsex Monacho primum & Abbate Doleni, Abbas Villulupensis, postea Archimandrita Archisterij Cluniacensis, demum Archiepiscopus renunciatus, ubi vis egregium sese Pastorem exhibuit, & magnum Ordini decus addidit. Patrum habuit Guilelmum Episcopum Magalonensem, Joannis Amboesij Lingonensis Episcopi proavunculum, fratrem, vero Regis Galliarum Magnum Eleemosynarium. Passus multa est Jacobus ab Hæreticis, ipse sibi ubi vis constans, cum omnia sursum & deorsum verterentur. Ex Gall. script. Claud. Rob. Annal. Cluniac. &c.

Floruit hoc ipso tempore Antonius de Monte, ex Monacho Montis Angelorum Congregationis Cluniacensis, Episcopus Civitatis, de quo Aug. Florentinus & alij. In Germania Superiore etsi tristissimus rei Catholicae status, firmato contra Catholicos federe Schmalcaldico, & infinita quasi conjuratorum multitudine Sacris omnibus minante, imo jam passim in Mo-

naasteria sacrilegè grassante; tanto tamen sese magis obarmat, adversum omnes hostium injurias, nostrorum patientia: cum lectissima quævis Cænobio, aut miserè vastata rebus omnibus exuerentur, sive ad profanos usus transferrentur, sive penitus exuerentur, viris Religiosis pessimè tractatis & quaqua versum dispersis, atque ita afflictis, ut jure merito in sanctorum Martyrum censu habeantur. Ex Germ. nostra &c. & diversis Germ. script.

In Inferiore Germania memorandus denuo hoc ipso anno sanctæ memoriæ Abbas Latiensis Ludovicus Blossius, qui non contentus eâ quam meritissimi ejusdem instituerant & promoverant Reformatione, ipse Spiritu & Zelo Religionis fervens novam, multisque numeris absolutiorem instituit, & scriptis mandatam, ut Apostolica confirmaretur auctoritate, Romam mittit, insigni cum plausu acceptam, & à Paulo III. solemniter confirmatam, cui præter Latienses, plurimi deinceps nomen dedere, plurimo deinceps fructu passim consequente. Ut Blossius noster merito inter magnos Ordinis Reformatores, & sanctissimarum Legum Conditores adnumeretur. Ex Monim. Latiensibus.

In Monasterio Deiparæ & sancti Heriberti Tuitiensi, ex adverso Coloniae, vita excedit hoc anno Henricus Horstius de Nussia reformatissimus loci Abbas, decus Ordinis singulare, Zelator disciplinae Monachicæ strenuus, Vir ingeniosus juxta laboriosus & industrius, sanctæ sobrietatis studiosissimus, cujus alia inter laude & imitatione dignissima memoratur, ingens otij odium, ita ut nunquam oriri visus sit, semper religiosissimè & utilissimè occupatus. Dilexit autem præcipuè decorum Domus DEI & templum amplificans, pretiosa ejusdem sedilia confici curavit. Decessit 7. Junij. Moritur. eodem Anno Jll. mus Antonius noster Civitatis Episcopus nepos Antonij de Monte S. R. E. Cardinalis, Monachus SS. Angelorum Florentia. De quo sæpè citati.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLVI.
Sancti Patris Benedicti. MLXVI.

Infinitorum malorum Author primus & præcipuus, Hæresiarcha nequissi-

V. Blossii
Reforma-
tio Latiens-
is.

Henricus
Horstius
Abb. Tuiij.

V. Jacobus
de Lallre
Abbas Has-
inovi-
ensis.

Jacobus
Regius ar-
chiepiscopus
Bituricensis.

Antonius
Episcopus
Civitatis.

Fredus
Schmalcal-
dicensis.

Lutheri
mors &
funeraria.

quissimus, innumerabilium Sacrilegiorum, rapinarum, incendiorum, turbarum, seditionum, praeliorum incencor, & promotor Martinus Lutherus, ad tribunal Divinum, desperatè mortuus, hoc anno rapitur, parentantibus Apostolo huic suo & Evangelistæ Schimalcaldicis, & funalia præferentibus innumerabili ædium, maximè sacrarum incendio, & ut verè profiterentur tanti se parentis filios, cœlis bellum inferre, infinitas sanctorum cœlitum statuas igne exurentibus, atque ut ab omni humanitate, ipsorumque Gentilium in mortuos pietate alienissimos se testarentur, sepulchra, & sarcophagos à plurimis sæculis summa in reverentia habitos inexplicabili dementiâ violentibus, ossa dissipantibus, pulveres exuffantibus: nostris, cum obniti violentia non possent, innumerabiles lachrymas gemitusque, cœlo consecrantibus, cum plerique ipsidem cremari ignibus mallent, quam tantas Numini & sanctis ejus illatas injurias intueri, & infanda Sacrilegij mixta dicteria, & blasphemias audire; ut quas sacrilegè Hæretici accenderant, flammæ, nostrorum gemitibus & lachrymis in holocausti vices cederent, succensisque æquè cordibus, in odorem suavitatis cœlos penetrarent. Ita hoc anno, & pluribus deinceps consequentibus in Germania, Anglia, Gallia litavit Numini inexplicabili condolentiâ & patientiâ Ordo noster, & infinitarum profusione lachrymarum, tantòque magis, D E U M & Sanctos demeruit, quanto ferventiùs ipsis ignibus, D E I misericordiam pro sacrilegij exoravit, uti usque hodie pro pessimè de se meritis facere non desinit, omnesque condonat injurias, dummodo ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, inobedientes filij reverterentur.

Montis coronæ gloriæ.

In nova Ordinis nostri Congregatione Montis Coronæ [sic enim illam à posteriore nomenclatura & hodie notiore, appellamus] virorum genere, doctrina, sanctitate illustrium, tanta frequentia, ut perfectorum æquè convenienter, quam Monachorum Congregationem licuisset appellare: Adeo, ex tanta tenebrarum densitate, lumina nostra perpetuo effulsere, & perquam insigni luce faciem cæcutientibus, ut qui vellent & sciperent te-

nebras sæculi facillè agnoscere nr, prætulere. *Lucas Rubensis & c.*

In superiore Germania immortalium cum Ordinis ornamento, summis sese meritis Imperio atque Augustissimo Eiusdem Imperatori Carolo, probat Gerwicus Abbas Imperialis Monasterij Weingartensis; quorum vel unum illud, quamvis præter dignitatem & convenientiam Viri Religiosi & tanti Præfulis, nonnullis videri possit; castra sequi, & militia curam suscipere: Convenientissimum tamen Gerwico visum, Patriæ & Imperio omni modo consulere, Cæsarique optimo, dum pro Imperio non solum, sed vel maximè pro Religione Catholica pugnaret, omni consilio, ope atque opera adesse, nec vel in maximis quidem periculis deserere. Adeoque & patriæ necessitatibus atque amore, nec non precibus compulsus Cæsaris exercitui adesse, etiam pro Duce Albano, jussus commeatum, atque alia necessaria exercitui providere, quod hominem majore fide & integritate, industriâ præterea atque dexteritate, quam quemvis alium è sæculi Magnatibus, in ea procuracione versaturum, facillè appareret. Docuitque revera exemplo suo Gerwicus noster, Virum litteratum, Nobilèmq; etsi Religiosum & Præsulem, nihil dedecere, quod juvandæ patriæ, & in causâ maximè Fidei prodesset.

Nunc primum suo valedicens Fontis Ebraldi Archisterio, & decima sexta Octobris inde discedens Renata Ducissa Lotharingiæ, Remos ubi appulit solempni plausu & gratulatione insigni excepta est à serenissimis inprimis parentibus Claudio à Lotharingia Guisliæ Duce & Antonetta Barbonia, nec non ab Eminentissimo fratre suo sacræ Ecclesiæ Cardinale Carolo Lotharingo, Remensi Archiepiscopo, à quo solempniter in Abbatissam S. Petri inaugurata & consecrata est, ingenti sacrarum Virginum nostrarum gaudio, nec minore fructu atque emolumento, cum revera Princeps esset exemplar totius sanctitatis, & vitæ exemplo omnes anteiret. De qua deinceps plura.

Nobilitat idem Monasterium, & hunc eundem annum mors felicissima Beatæ memoriæ Dominiæ Isabella: ab Asper-

Gerwici
Abbatis
Weingartensis
industria.

Renata
Ducissa Lothar.
Abb.
Remensis.

v. Isabella
ab Asperomonte
sanctè memoriæ

Asperomonte, de qua R. Pater Aman-
 dus Tribout: Erat sanctitate eo nobi-
 liori, quo Nobiliori genere præcelle-
 bar; haud equidem dicenda frequen-
 tissimè jejunare, vix ullo obsonio, ni-
 si orationis pabulo vescèbatur; mixto
 prius modicis dapibus, quibus, ne pla-
 nè deficeret, utebatur, felle, alijsque
 amarioribus succis, ita ut ipse cibus &
 refectio ipsi aspera pœnitentia esset:
 tanto Crucis & Crucifixi Jesu sui re-
 damandi flagrans desiderio, ut ipsam
 tæderet partis Vitæ suæ, siquid ipsi ex
 animi sententia accidisset, continuis
 corporis doloribus, alijsque carni &
 voluntati contrarijs cupiens exerceri,
 & mortificari. Quare tam generosa
 fitis misertus Isabella suæ sponsus ip-
 se Christus Jesus amor Crucifixus, sin-
 gulari dono, & solitâ in amantissimas
 mentes benignitate, hujusmodi eam
 morbo affectit, ut ejusdem dirâ vi &
 conflictatione, ter & trigesies tenera
 & exilis Virgo agonizaverit, quod tanta
 alacritate, & patientissima mentis
 invictâ generositate toleravit, ut pas-
 sim ab omnibus, vel solo tantæ pati-
 entia nomine, sancta sit habita, etsi
 alias omni virtutum genere esset cul-
 tissima. R. P. Amand. Tribout. &c.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. XLVII.
 Sancti Patris Benedicti. M. LXXII.

Henrici VIII. Angliarum Regi,
 summo, si Dijs placet, Angliæ
 Pontifici, sacrorum omnium everso-
 ri, juratissimo Romanæ Fidei & Ec-
 clesiæ Catholicæ hosti, infinitis sacri-
 legijs pollutissimo, Sacerdotum Chri-
 sti, quin & propriarum conjugum par-
 ricidijs infami, cœlo terrisque in viso
 supremus hic annus, ulciscente suos
 Numine, quorum majores Christi Fi-
 dem Angliæ introduxerant, & infi-
 nitis meritis demeruerant Regna illa,
 etsi pro tanto hoste suo preces & la-
 chrymas fundere non desisterent, do-
 nec actum jam de ipso esse intelligen-
 rent, & ad æquius tribunal citatum,
 quàm ad quale ipse S. Thomam Can-
 tuariensem, tanto ante mortuum cita-
 set, jamque judicatum, & condemna-
 tum, non dubitarent. Et vero etiam
 à morte ejus patuit, quantum ipsi &
 Regno sacrum aurum, & tot Ecclesia-
 rum arque Monasteriorum thesauri
 profuissent, cum nulla, neque antè, ne-

que post tanta paupertas subditorum,
 tantaque rerum omnium penuria ef-
 fer, ut qui vel maxime inde ditari sibi
 videbantur, aliam quoque substantiam,
 meliore titulo partam, juxta &
 cum sacris opibus evanuisse, sero tan-
 dem animadverterent. Ex diversis
 Anglic. rerum script.

Iterum Gerwicus Weingartensis
 Abbas celebrandus, qui in annos sin-
 gulos, non singulis solum, sed pluri-
 mis & singularibus meritis esset com-
 mendandus: cujus alia inter hoc longè
 maximum, quod cum longè latèque
 Germaniam pestilentissima Hæretum
 lues, incredibili cum incommodo Rei
 Catholicae, & nobilissimam etiam Im-
 perij provinciarum Sueviam invasis-
 set, Gerwicum non ab hujus solum-
 modo maxima parte tantam pestem
 felicissimè avertissè, sed & Imperio
 atque Imperatori Augusto optimè con-
 sulentem, plurimas passim urbes, op-
 pida, atque subjectas ipsidem Ditiones
 in fide & officio continuissè, mox ab
 Cæsare Legatum, Fidelitatis sacramen-
 tum ejusdem nomine exegisse. Ipso
 hoc etiam anno Gerwicus idem, in
 publica ac solempni Festi CORPORIS
 Christi Processione, circumtulit supra
 vice, in inclinante jam, imo mer-
 sâ Hæretum abominatione, Ulmen-
 si Urbe Venerabile, & sacrosanctum,
 Christi Domini Corporis Sacramen-
 tum, præsentè & comitante Cæsare.
 Ut merito obstupescat, qui inter tan-
 tam juratissimorum Romanæ Eccle-
 siæ hostium multitudinem, unius vi-
 ri Monachi constantiam, & professio-
 nem tam manifestam Fidei, tam pul-
 chro exemplo, tam publicâ videat, seu
 reminiscatur. Ex monim. Weingart. &c.
 & Annal. nostr. Benedict.

Extinguitur hoc anno singulare Re-
 gularis Vitæ exemplar & sacrae Refor-
 mationis promotor Joannes de Grö-
 ninga Abbas Werthinensis, Præsul per
 omnia magnificus qui magno bono
 publico, pontem lapideum magna ar-
 tis, molis & sumptuum Rura: fluvio
 imposuit, studia promovit, insignem
 Bibliothecam struxit, & magno libro-
 rum thesauro auxit, Basilicam mirè
 exornavit, & immortale sui desiderii
 um post se reliquit. Mortuus 7. Ju-
 lii & in medio Chori ante Altare ma-
 jus conditus.

IESU

Paupertas
 Rerum.

Gerwicus
 Abas con-
 tra Hære-
 ticos.

Ulma Festo
 SS. Corporis
 Christi
 ultima so-
 lemnitas.

Joannes
 Abbas
 Werthin-
 sis.